

1613

ceret; licet eodem tempore acrius in copias cogendas incumberet, neque Mendoza quidquam ad exercitum augendum prætermitteret, nuper ex Neopolitano regno Hispanis militibus receptis. Quæ sane haud exigua suspicione Principum animos repleverant, quoniam, concordia icta, tot belli apparatus dirigerentur: plerisque Caroli Hispanorumque sociatis armis Italæ quietem turbandam; aliis turbinem in ditiones Venetas disjiciendum arbitrantibus. Quæ Senatum permovere, ne imperii subjectorumque patrocinio defuisse videretur, ut duo peditum millia eorum, quos *moschettos* vocant (est id fistulæ ferreæ amplioris formæ genus) a decem præfectis conscribi, ac reliquis copiis adjici; Priolumque, cum summo imperio legatum, qui nondum discesserat, in continentem proficiisci juberet. Sed tandem tertio kalend. julii Carolus Trinum, atque exinde alia oppida Mantuano restituit; in id pactionibus scripto exaratis, in quibus summi Pontificis ac Cæsaris mentio fiebat; Maximique Bretinori Episcopi; nec non Francisci Castilionei, Cæsaris procuratoris, nomina inscripta fuerant. Ea oppida apparatu bellico penitus exhaustisse, tormenta bellica asportasse, abstulisse, Carolus ferebatur. Oppidis restitutis, Galli, qui in Italiam venerant, in Galliam revertuntur. Copiæ, quas in Italæ finibus a Laodigherio coactas fama retulerat, dimissæ, non absque bellicosissimæ Gallicæ gentis nota, quod Principi arcta necessitudine Regi juncto afflictis rebus, difficillimo tempore, opem non tulisset; atque eorum, quæ superioribus ætatibus in Italia præclara gesserat, oblita penitus videretur. Florentini quoque, qui Francisci Medicei, Magni Ducis fratrī, Cardinali militaverant, in Hetruriam sunt profecti. Philippus vero, qui Vitorium, Allobrogum Principem, Barcinone delatum, Cæsaræ Augustæ subsistere jussérat, ac nisi prius patrem, quæ Mantuano ademerat, restituisse cognovisset, ad suum conspectum admittere noluerat; tandem, cum Carolum obtemperasse, intelligeret, Madritum profectum humaniter, uti ex foro nepotem, excepit.

Ceterum, quod sœpe contingit, ut e favillis, quæ extinctæ credebantur, major incendiī flammārumque acrior vis interdum erumpat, id in hisce inter Sabaudum ac Mantuanum dissidiis

acci-

*Sabaudus  
Mantuano dem-  
pta oppida  
restituit.*